

homil. 4. 1. sa sunt, & omnia iam parata.

Arabicus. Vituli mei saginati.

Arias. Et omnia expedira.

Vatablus. n. 5. Illi autem neglexerunt.

Multi ex Graco. Illi autem contempserunt, seu nihil curarunt.

Syriacus. Illi autem spreuerunt: & abiere, alius quidem in villam suam, alius verò ad mercaturam suam.

EXPOSITIO II.

MISIT alios seruos. In hoc apparet summa patientia, ac humanitas huius regis, qui vocatorum ingratitude non offenditur, qui quamuis contempserint eius maiestatem, ac filij sui nuptias, adhuc in eos maiora beneficia parat, vocans eos ad regale conuiuium suum. *Misit alios seruos*: distinctos, nempe à primis. Ac proinde satis congruè per primos intelliguntur Prophetæ, per secundos verò Apostolos. Ut docent Origenes, D. Hieron. Beda, S. Thom. Carthusian. & alij. & quamuis intelligantur Prophetæ, & Apostoli, non publicantur hoc nomine Prophetæ, & Apostoli, sed solum dicuntur serui, maxima enim dignitas est seruum Dei dici, & nominari. Et notandum est, quod quamuis satis fuisset notum secundis seruis, primos non fuisse admisso, nam inuitati noluerunt venire, tamen adhuc secundi hanc curam iterum suscipiunt. Aliorum enim saluti semper instandum, & ab hoc negotio non desistendum est. *Dicere inuitatis*. Bene sciebat magnus rex, inuitatos venturos non esse, sed quia eos inuitauerat, vocat; eligens potius suam maiestatem vocatorum contemptui, quam veritatem sui verbi, alicui sinistra mendacij opinionioni exponere. *Dicere inuitatis*. Sunt homines, qui si inuitantur nolunt venire, & si non inuitantur, ægrè ferunt, se contemptos existimantes, ideo eos vocat.

30.

Origenes. Hieron. Beda. D Thom. Carthul.

Aliorum saluti semper instandum.

21.

Quanta preparatione accedendum ad sacram Eucharistiam.

22.

Aut qua consuetudo.

bantur; sic & nuptiale Christi conuiuium, quod hic describitur, à sacrificio crucis sumpsit exordium. Cum ergo dicuntur tauri occisi, & altitia significatur conuiuium valde magnificum, & splendidum cum omnibus, quæ solebant dari in magnis conuiuiis. Ut notat D. Hieronymus hic. Hieron. 23. Syriacus. *Illi autem neglexerunt*. Seu ut habet Syriacus, spreuerunt. Extrema hominum miseria, cum enim terrenis essent dediti, cælestia, ac spiritualia contempserunt. *Abierunt*: à seipsis ad propria sua negotia. *Alius in villam suam*. Ecce quanta sit horum stultitia, pro agricultura, ac mercatura, relinquunt cælestem mensam, quæ facit reges, & principes.

QUESTIO IV.

Quare cum inuitati nolissent venire: adhuc homo rex eos vocat benignè, ac urbane?

MANDAVIT homo Rex per suos primos seruos vocare inuitatos ad nuptias. Et nolabant venire. Nunc verò per hos secundos seruos mandat. *Dicere inuitatis*: Ecce prandium meum paravi; tauri mei, & altitia occisa sunt. Cur non irascitur in inuitatos, sed adhuc eos tam benignè vocat? Ecce prandium.

Respondet primò D. Gregorius homil. 38. in Evangelia. *Notandum*, ait, quod in priori inuitatione, nil de tauris, & altitibus dicitur, in secunda autem iam tauri, & altitia mactata memorantur, quia omnipotens Deus, cum verba eius audire volumus, adiungit exempla, ut omne, quod impossibile credimus, tanto nobis ad sperandum fiat facilius, quanto per hoc transisse, & alios audimus. Per tautos intelligit S. Doctor, ut dicam questione sequenti, Patres veteris testamenti, per altitia verò Patres noui testamenti; vocati noluerunt venire; mandat eos iterum vocare, præponens eis in exemplum Patres veteris, & noui testamenti, qui cum à Deo essent vocati, illico venerunt, ut eorum exempla sequentes, festinanter, & ipsi veniant. Quid exemplis efficacius? Vide multa in Indice. Verb. Exemplum.

Secundò. Primo vocati noluerunt venire, adhuc secundo eos mandat vocare, non vultu contracto, nec rigidis, ac asperis verbis, sed serena facie, urbano modo, & multa cum modestia. *Ecce prandium meum paravi: venite ad nuptias*. Magnus ille centurio de se dicebat. *Habens sub me milites: dico huic vade, & vadit, & illi, veni, & venit*. Matth. 8. n. 9. Non ait. Iubeo, vel cum fastu impero, sed dico, ac ciuilitate moneo, milites, & se vna, & eadem trutina pensabat. Ait Textus 2. Reg. 8. num. 18. *Banaias autem filius Ioaiaade super Cerethi, & Phelethi*. Caietan. ait; quod in Hebræo non sit illa vox super, tanta modestia se habebat Banaias cum suis militibus; ut eos non tanquam princeps regeret, sed tanquam commilitones habent. Caietan. *Propter eorum eminentiam*, ait, non dicitur, quod Banaias fuerit super eos: sed dicitur; Banaias Cerethi, & Phelethi, ut supputentur tanquam socij.

Tertid. Noluerunt venire inuitati. Et adhuc eos vocat. Verè hic homo Rex manifestatur, quod Deus sit, tanta enim humanitas, ac pietas solius Dei

Hieron. 23. Syriacus.

24.

25. Gregor.

Exemplum valde efficax, ceter mones.

26.

Matth. 8.

2. Reg. 8.

Caietan.

27.

Dei est; hominis est infligere supplicia. *Misit suis exercitibus perdidit homicidas illos*; at benignè vocare, ac parare conuiuium solius hominis regis, soliusque Dei est. Conuertit Moyses aquas Egypti in sanguinem: *Feceruntque similiter malefici Egyptiorum incantationibus suis*, Exod. 7. n. 22. Cumque obduratum esset cor Pharaonis extendens Aaron manum super aquas. *Egypti ascenderunt ranae, & operuerunt terram Egypti*. Deinde subditur: *Fecerunt autem & malefici per incantationes suas similiter, eduxerunt ranas super terram Egypti*, Exod. 8. n. 7. Cumque hac plaga valde opprimeretur Pharaon cum toto suo populo, vocat Moysen, & Aaron dicens eis: *Orate Dominum, ut auferat ranas à me*, ibidem num. 8. Nonne malefici Egyptiorum eduxerunt ranas, cur & eas non auferunt, sed ad hoc vocatur Moyses? Moyses constitutus erat Deus Pharaonis, Exod. 7. n. 1. Attingere, ac vexare populum plaga faciet Moyses, facient & Magi, ac clementiam exhibere, & auertere plagam, hoc tantum præstabit Moyses, qui constitutus Deus est. Theodoretus quæst. 18. in Exod. *Ranas quoque produxerunt malefici, non tamen ab illis potuerunt liberare domos Egyptiorum; concessit itaq; Deus incantatoribus, ut hæc facere possent, ut Egyptios castigarent, non tamen dedit illis, ut vltionem sedarent*. Ut per hoc cognosceretur eximia potestas Moysis.

Exod. 7.

Exod. 8.

Solius Dei est exhibere clementiam, & pietatem.

Theodor.

QUESTIO V.

Quare tauri, & altitia dicuntur occisa in conuiuio, & non numerantur sicut alterius quinque iuga bouum?

NOTAT Aymon, quod dicitur: *Tauri mei, & altitia occisa sunt*, ac si diceret: *Patrum præcedentium mores aspiciate, & media vite vestra cogitate*. Ad quid tendit, quod de occasione taurorum, ac altitium sit mentio? Erat mensa ista parata à rege illo non conuiuij temporalis, sed æterni, quod non respiciebat ad carnalem, sed spirituales vitam, ideo illa mortuorum memoria componitur, de qua humanus maximè solet saginati spiritus.

28. Haymon. Memoria mortis humanus spiritus saginatur.

Secundò. Dicuntur tauri, & altitia occisa, & eorum numerus, non præfigitur. Nam ut ait Palatius: *Credo taurus, & altitia Christum unicum esse: vnus Christus vocatur Agnus, vitulus, hircus, ouis, vitula, ruffa, turtur, passer occisus, & alia multa, ergo ipse est taurus, & altitia*. Cum ergo in illis designetur Christus Dominus, taurorum, & altitium numerus non ponitur; quia in Christo sunt omnia bona, quæ minimè supeditari valeant. Vide Verbum Eucharistia.

29. Palatius.

Tertid. Dicuntur tauri, & altitia, & tamen eorum numerus non scribitur, aliter ille, qui se excusat à cena magna, ait: *Eni quinque iuga bouum, eo probare illa*, Luc. 14. n. 19. Cur in his numerus, non verò in illis assignatur? Dapes in regali mensa cælestia dona adumbrant, empti verò bonis terrena bona, ut docet D. Augustin. apud D. Thomam in Caren. ad cap. 14. *Luc. Quinque iuga bouum, ait, sensus carnis huius quinque numerantur: dicuntur autem iuga bouum, quia per sensus istos carnis terrena requiruntur: bonæ ergo terram versant; homines autem remoti à fide terrenis dediti nolunt credere*. Provt ergo bonæ terrenis

30. Luc. 13.

Bona cælestia innumera, terrena exigua. August.

inferunt numerus quidem breuis in eis apponitur, iuga bouum emi quinque, cum autem cælestibus, ac regis mensis inferunt, omni numero carent, cælestia enim dona innumera consistunt, & minimè exigua, ac limitata sunt, vt terrena. Vide suprà cap. 7. n. 8. 1. & 8. 2. & cap. 8. n. 1. 3. 4. 10. 14. 1. & n. 179. 280. & cap. 24. n. 3. 1. 32. & cap. 27. n. 8. 9. & 10.

QUESTIO VI.

Quare non solum referuntur in conuiuio tauri, sed etiam altitia apposita?

REX mandat dicere inuitatis: *Tauri mei, & altitia occisa*; ait: *tauri mei*, hic bonus Rex non manducat, nec parat mensam ex alienis, nec ex vi extractis, sed ex suis propriis: *Tauri mei*, & addit altitia, sic dicta ab alendo, quasi altitia, id est, alita, vt ait D. Gregorius, seu vt alij vertunt, *Saginata*, vt iam dixi in expositione. D. Hieron. *Prandium paratum, & tauri, & altitia occisa per metaphoram opes regales describunt*. Dabat Rex conuiuium, vt expediens erat eius maiestati, multa magnificentia, liberalitate, ac apparatu extructum, tantisque ferculis repletum.

31.

Gregor. Hieron.

Galfridus apud Tilmanum: *Et carne quidem, ait, taurorum cibis fortior, altitium esus delectabilior est: vtraq; ergo videtur in suis Dominus nuptijs, & parata suis enumerare conuiuiis, quacumq; vel ad necessitatem expectanda sunt, vel appetenda ad voluptatem*. In quibus verbis tria nota. Et primò: *Taurorum cibis fortior, altitium esus delectabilior*. In hoc magnifico conuiuio non solum apponuntur tauri ad necessitatem victus humani, sed etiam altitia, seu saginata, vt alij legunt ad iucunditatem, & superabundantiam, suis præbet Dominus non solum necessaria, sed etiam quæ iucunditatem, ac oblectamentum afferant.

32. Galfridus. Deus sui dat non solum necessaria, sed etiam quæ sunt ad iucunditatem.

Cum teneretur Israël oblectus inter mare rubrum, & exercitum Egyptiorum, vt nulla esset spes euadendi per medium maris, de quo decantatur Sapient. 19. n. 7. *Ex aqua, quæ antea erat, terra arida apparuit, & in mari rubro via sine impedimento, & campus germinans de profundo*; Fecit Deus per medium maris non solum viam populo suo, sed etiam campum germinantem, & ad quid hic campus germinans herbis, floribus, ac arboribus constitus? Summa Dei magnificentia non solum suis præbet iter, vt fugiant è manu inimicorum, sed etiam cum floribus, ac arboribus, quæ hilaritati, ac oblectamento inseruiunt, ac recrearent.

33. Sap. 19.

Iter cum iucunditate.

Secundò. *Vtraq; videtur in suis Dominus nuptijs, & parata suis enumerare conuiuiis*. Si Dominus tanta magnificentia, ac liberalitate suis inuitatis parat conuiuium, nos etiam multa promptitudine ei oblectia debemus persoluerere. Ait Sponfa Cantic. 2. num. 16. *Dilectus meus mihi, & ego illis pondera ordinem verborum: prius ait: Dilectus meus mihi*. Deinde subdit: *Ego illi*. Ac si ad omnes sodales magnam faciat hanc exhortationem. Si dilectus meus, cum tam magnus, & magnificus sit totus est mihi, ego quæ valde exigua sum tota debeo esse illi, totaq; illi addicta. D. Bernardus serm. 68. in Cantic. *Propterea, ait, vtramq; ponit dicens, Ille mihi, & ego illi: ille mihi, quia benignus, & misericors est; ego illi, quia non sum ingrata,*

34.

Cant. 2. Ex sua magnificentia Deus mouet, ut nostra illi offeramus.

Bernard.

ingrata: ille mihi gratiam ex gratia: ego illi gratiam pro gratia: ille mea liberationi, ego illius honori: ille saluti mea, ego illius voluntati.

35. Tertiò. In carne quidem taurorum cibus fortior, abulium vsus delectabilior est. Ab hoc magnifico regali conuiuio discat Ecclesiasticus Doctòr animarum utilitatis audius, vt in coniuiali mensa sua doctòr, proferat, Taurorum cibus fortior, & altitium vsus delectabilior. Non omnibus eandem escam proponat, sed diuersam pro fortibus, ac debilibus. Cibus robustorum dogmata sunt alta, quæ magnum ingenij accumen in auditore desiderant; cibus delicatior debilius est, quia à simplici plebe mandari potest, pro capacitate vniuscuiusque partum exhibeat bonus prædicator. Discat, discat à Doctore Gentium, qui dicebat: Factus sum infirmus infirmis, vt infirmos lucrificarem: omnibus omnia factus sum, vt omnes facerem saluos, 1. Corinth. 9. n. 22.

Prædicator Evangelicus accomodat se auditoribus.

1. Cor. 9.

36.

Daniel. 12. Astrorū more pro diuersitate ingenij sit prædicator.

De factis Doctòribus ait Daniel. 12. n. 3. Fulgebunt qui ad iustitiam erudierunt multos, quasi Stelle in perpetuas æternitates. Cur magistri cum Stellis comparantur? Inter stellas quædam dicitur taurus, quædam Virgo, alia est enim mercatorum planeta, alia agricolarum; non vna stella omnibus, sed pro diuersitate humanarum rerum, vana est auctoritatis potestas, ita præceptores variis induantur formis; Cum obduratis, ac inobedientibus, tanquam cum Marte armata manu pugnent; cum paruulis, ac debilibus, veluti lenem virginem se exhibeant cum sapientibus veluti dexteritate Apollinis contendant, cum rudibus, ac agrestibus veluti agricolarum planeta condescendant. D. Anastasius Sinaita lib. 4. Anagogicarum contemplationum post medium, vbi ostendit duodecim stellas esse duodecim Apostolos; sic ait: Quod si vis melius discere aliqua etiam nomina huius, qui erat aliquando Zodiacus circulus Ecclesie, nempe duodecim Stellarum Apostolicarum, considera firmamenti duodecim appellationes. Hæ autem sunt: Virgo, Hesperus, Lara, Gemini, &c. Sed ea quidem fabulose, & falso sunt appellata: in firmamento autem Ecclesie, spiritaliter, & semper lucent.

Anastaf.

37.

Deut. 33.

Glossa.

Benedicens Moyses tribui Ioseph, ait illi: Quasi primogeniti tauri pulchritudo eius, cornua rhinocerotis, cornua illius: in ipsis ventilabit Genes esque ad terminos terra, Deuter. 33. num. 17. Hæc prædicabat Moyses in spiritu ad prædicatores Evangelicos. Glossa: Ventilabat prædicatione crucis discernens paleas à frumento. Iam tamen insurgit quæstio ad quid Doctorem depingendum veluti monstrum proponit Moyses? Nam si taurum initio statuit, quamobrem cornua rhinocerotis adiungit? Quis vnquam vidit aliquod animal, quod simul sit taurus rhinoceros? At tunc perpende Moyses prudentiam: Formaturus imaginem eximij Doctòris, qualem depingeret? Si seuerum tantum minas euomentem, vt taurum, hoc vitium esset: si remissum, languidum sine vigore. Res reprehensibilis esset. Quo pacto ergo taurum, & rhinocerotem, seu vnicornium, blandum nempe, & vehementem. In tauro refulget bilis, in rhinocero, quod est animal imbelles, lenitas, & mansuetudo, his ergo duobus dotibus appositè delineatur bonus Magister, vt simul habeat admixtam suauitatem cum rigore verborum, habeat cornua tauri in verbis ad pertinaces demandos, teneritudinemque Vnicornij ad simplices reducendos. Tertullian. lib. aduers. Iudæos,

Doctòr habeat rigorem cum lenitate.

Tertullian.

Rhinoceros, ait, & Taurus ob vtramq; dispositionem, alijs ferus, vt Iudex, alijs mansuetus, vt Saluator. Vide verb. Prædicator, in Indice.

Matth. 24. Reliqui verò tenuerunt seruos eius, & contumelias affectos occiderunt.

Num. 7. Rex autem cum audisset, iratus est: & missis exercitibus suis perdidit homicidas illos, & ciuitatem illorum succendit.

VERSIONES.

Syriacus. Reliqui autem comprehenderunt seruos eius, & opprobrio affecerunt, ac trucidarunt.

Imperfect. Indignè tractauerunt, & occiderunt.

Lucas Burg. Contumeliis affecerunt, & occiderunt.

Syriacus n. 7. Quod cum audisset Rex scanduit: missisque exercitibus suis, perdidit homicidas illos, & ciuitatem eorum concremauit.

Arius. Urbem eorum incendit.

EXPOSITIO III.

RELIQVI verò. Tria seruorum genera hic numerantur, quidam tanquam agricultores ad vineam, seu villam tetenderunt, alij vt pote mercatores ad negotiationem suam. At hi tertij in quoniam erant occupati? In nulla potius re, sed otiosi, nulli labori, aut negotio operam dabant, & ideo tantum nefas perpetrarunt, vt seruos Domini sui crudeliter occiderent. Vacat vitis nostris, & ad omne votum fluente fortuna lasciuat otium. Sapienter dixit Quintilian. Declamat. 3. Tenuerunt seruos eius. De Iudæis est sermo, qui post Spiritus sancti aduentum, factos Apostolos, eorumque discipulos, à quibus vocabantur ad conuiuium Evangelicæ fidei, eos comprehendere, & occiderunt, nimirum vtramque Iacobum, maiorem, & minorem, Stephanum, & alios. Debebant sanè Iudæi magnas gratiarum actiones impendere Apostolis, à quibus inuitabantur ad ecclesie prandium, & tamen illis cum multa sæuitia mortem inferunt, crudelitas, ac inhumanitas nullis beneficiis fleuitur, ac mitescit.

38. Otiositas omnium malorum causa.

Quintil. Crudelitas nullis beneficijs fleuitur.

39.

Rex autem cum audisset. Seruos scilicet suos contumelias affectos, & occisos, voce nempe sanguinis eorum clamante, vt inquit Interlineal. Iratus est. Lenitate sua deposita, & in futurum conuersa. Dicitur, iratus est, vt notat Carthuf. non passionis affectum habendo, sed iustitiam exercendo, seu infligendo vindictam per modum irascentis. Et missis exercitibus suis. Rectè notat D. Thomas. Quod in superiori parabola de vinea, assignauit

Interlineal. Carthuf.

D. Thom.

assignauit contra Iudæos pœnam spirituales; auferetur à vobis regnum Dei, hic ponit pœnam temporalem, qua iniqui maximè affliguntur. Missis exercitibus suis. Hic prædicat Dominus excidium Ierosolymitanæ ciuitatis. D. Gregorius homil. 38. in Euangelia ait: Angelorum agmina sunt exercitus regis nostri. D. Hieronym. Per hos exercitus, ait, Romanos intelligimus, sub duce Vespasiano, & Tito, qui occisos Iudæa populus præuaricatricem incendit ciuitatem. Ac proinde per exercitus tam Angelos, quam Romanos intelligunt, Beda, Aymon, Albertus Magn. S. Thom. Hugo, & alij. Cum Deus irascitur in hominem, omnis creaturarum exercitus in ipsum armatur, ac contra ipsum pugnat.

Gregor. Hieron. Beda. Haymon. Albert. D. Thom. Hugo. Contra peccatorem omnis creatura armatur.

40. Perdidit homicidas illos, qui seruos à rege missos interfecerunt. Et ciuitatem illorum succendit. D. Chryostom. homil. 70. ait, quod ponitur ciuitas pro ciuibus. Abulens, quod dicitur, ciuitatem illorum succendit. Ad grauissimam pœnam explicandam, vt scirent, quod non solum ipsi in perditionem ituri erant, sed etiam eorum ciuitas, & patria, cuius deaustatio magnam dolorem ingerit. Ciuitatem illorum: Non ciuitates, vt bene notat Origenes, homil. 20. in Matth. Ciuitas hæc, ait, est congregatio malorum. Et hæc congregatio merito dicitur vna ciuitas, non plures, mira est enim impiorum concordia ad malefaciendum, & pessimi facillimè in vnum vniantur.

Chryost. Abulens. Patria deustatio maioris doloris.

Origen.

QVÆSTIO VII.

Quare cum irascitur dicitur tantum rex, cum antea appellatus fuisset homo, & rex?

41. VM Dominus iste suis parat conuiuium dicitur homo rex. Simile est Regnum calorum homini regi, qui fecit nuptias filio suo. Postea verò cum irascitur, dicitur tantum. Rex autem cum audisset iratus est. Ad quod rectè respondet D. Paschal. hic lib. 9. in Matth. Introducitur, ait, primum Rex, & homo, quando inuitat ad nuptias, & agit opera clementie. Tunc quidem appositum est nomen hominis; nunc quando ad ultionem festinat, homo bene tacetur, & rex tantum dicitur, & iratus introducitur, quia ira regis nuntius mortis. Cum parat conuiuium dicitur homo rex, qui Deus est humanissimus in hominem ad benefaciendum, at verò cum irascitur dicitur rex tantum. Iratus est autem; ad exprimentandam magnam pœnam, ira enim regis deaustationem, mortem, ac desolationem omnium denuntiat, & importat. Indignatio regis nuntij mortis. Prou. 16. n. 14. Non ait indignatio regis nuntius, vt videbatur dicendum, sed nuntij, vna ita regis multiplex nuntius mortis, & interitus.

Paschal.

Ira regis nuntius mortis.

Prou. 16.

41.

Hieron.

Chryost.

Nomine qui admonetur ad rationem sui officij.

Secundò. Respondet. D. Hieron. hic. Quando inuitabat ad nuptias, & agebat opera clementie, hominis nomen appositum est: nunc quando ad ultionem venit, homo sletur, & rex tantum dicitur. Cum irascitur ob iniurias, contumelias, ac mortes illatas in suos seruos, dicitur Rex: Cum audisset rex iratus est. Ac si ab ipsa regis nomenclatura, ab ipsòque regali munere esset pronocatus ad pœnam, & mortem inferendam; Nunc quando ad ultionem venit, rex tantum dicitur. Nam vt bene ait D. Chryostom. homil. 31. ad Rom.

Multarum siquidem rerum monumenta sunt nomina. Illa enim pro magna disciplina inferuntur, mentemque monent, quid à recto, ac bono viro agendum sit.

Cum Abimelech tulisset Saram in domum suam. Venit autem Deus ad Abimelech post somnium nocte, & ait illi, en morieris. Gen. 20. num. 3. Iuxta radicem Hebraicam. Non legitur Deus; sed venit Iudex ad Abimelech. Ad quid hic scribitur Dominus sub nomine Iudicis, cum passim in toto libro Geneseos, & quando apparet Abrahamo Deus nuncupatur? Cur hic dicitur Iudex? Veniebat Deus ad puniendum regem, ad rationemque ab eo exigendam, cur in domum suam tulisset mulierem, quæ habebat virum, dicitur ergo tunc iudex pro eruditione nostra, vt ex suo nomine meminerit se esse iudicem, rectèque rationem iudicis adimpleret, ab ipsòque veluti nostro dicendi modo nomine iudicis impleretur, vt iudicis officium adimpleret. Caictan. ibidem. Apte, ait, iudex nominatur Deus, apprensus ad iustitiam exercendam instruendo, & comminando, & præcipiendo.

43.

Gen. 20.

Nomen iudicis ad exercendam iustitiam.

Caictan.

44.

Apo. 6.

Clamant Sancti Martyres ad Deum. Vsq; quo Domine sanctus, & verus, non iudicis, & non venditas sanguinem nostrum? Apocal. 6. n. 10. Cum impiorum punitionem postulant triplici nomine Deum appellant Dominum, sanctum, & verum. Cur his nominibus Deum vocant, & non potius agnum, vt ferè per triginta vices in Apocalypsi nominatur? Cantabant Deo, & Agno. Iterum dignus est Agnus, &c. Intendebant sancti Martyres, vt tyranni supplicio afficerentur. Dicant ergo Domnum. Cui obseruatio iustitiæ incumbit; Sanctum, qui est totius sanctitatis fons, cui omnis iniquitas maximè displicet: Verum, qui est confans, & fidelis in suis verbis, ac promissionibus. Eradicabitur impius de terra viventium. Vt his nominibus Deo obiciant celsitudinem suæ maiestatis, ac eminentiam suæ potestatis; vt tanquam Dominus iustitiam adimpleat, vt sanctus iniquitatem dissipet, ac dispergat, & vt verax comminationes contra impios factas exequatur, ac proinde his nominibus Deum prouocare volunt, vt suis querimonijs attendat. Rupertus lib. 4. in Apocal. Pulchre, ait, nimis compellatur nominibus istis, vt per ea faceret veritatem iudicij.

Martyres Deum compellunt ad punitionem.

Rupertus.

QVÆSTIO VIII.

Quare iratus rex missis suis exercitibus perdidit homicidas illos, & eorum ciuitatem succendit?

PRIMA, & communis ratio; Grauisimum crimen commiserunt homicidæ, seruos enim regis, qui missi fuerant ad vocandos eos ad nuptias sine vlla causa occiderunt, ideo iusta pœna factum est, vt homicidæ occiderentur, & insuper eorum ciuitas succenderetur, cum pro tot beneficijs mala rependerent. D. Athanas. homil. de semente. Quid enim, ait, deterius, quam beneficia accipere, & insidiari?

45.

Athanas. Turpe beneficium accipere, & insidiari.

Secundò. Abulens. quæst. 14. homicidas perdidit, & ciuitatem eorum succendit. Sic ait. Vt timeretur, & nemo audeat de cætero nocere ei vel peccare in ipsum. Nam lenitas, ac patientia in iniurijs sufferendis, sæpè impijs est occasio ad gra-

46.

Abulens.

uiores